



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 79. Eadem Constitutio in Belgio acceptata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII.  
A. C. 1705.

§. LXXIX.

*Eadem Constitutio in Belgio  
acceptata.*

Argentre  
Coll. Jud.  
pag. 455.  
Epist. Cle-  
men. XI.  
pag. 290.  
& 281.

Quam primum hæc Pontificis Con-  
stitutio in Belgium suisset delata,  
mox Mechliniensis Archiepiscopus eam  
ab omnibus Episcopis & universitati-  
bus promulgari, ac recipi petiit: Pra-  
primis igitur eandem Lovaniensis Uni-  
versitas summo gaudio excepit, ac  
propterea die decima secunda Decem-  
bris a summo Pontifice hisce literis ho-  
norata: „Ex datis nuper ad Nos literis  
„vestris libenter audivimus, quanto  
„cum gaudio Apostolicam nostram ad  
„versus Janseniani erroris reliquias con-  
„stitutionem exceperitis, quave animo  
„rum alacritate debitam eidem obe-  
„dientiam pro ingenito vobis in han-  
„sanctam Sedem obsequio polliciti sitis  
„Quod vero insuper pro tuenda strenue  
„fidei veritate, quam Beatus Petrus  
„in hac eadem Sede adhuc vivens &  
„præsidens universis Christi fidelibus  
„præstat, eximum Zelum vestrum pro-  
„dideritis; laudamus admodum, q  
„peculiares bonorum omnium Largi-  
„tori Deo gratias agimus; qui in re-  
„signi facultate vestra orthodoxæ Re-  
„ligionis præsidium, & decus maxi-  
„mum

„mum Ecclesiis Belgicis repositum vo- Sæc. XVII.  
 „luit, ut scilicet assiduis studiis, ac A. C. 1705.  
 „laboribus vestris abunde valeatis ex-  
 „hortari in doctrina sana, & eos, qui  
 „contradicunt, arguere: Pergite igi-  
 „tur, dilecti Filii, in suscepto munere  
 „feliciter exequendo, & eliminatis pe-  
 „nitus ex Academiæ vestræ finibus,  
 „doctrinis variis & peregrinis, quibus  
 „nonnulli nimis alta sapientes, apud  
 „semetipos misere abduci se passi sunt,  
 „inviolabilis Petræ, supra quam Chri-  
 „stus fundavit Ecclesiam, dogmatibus  
 „& institutis firmiter inhærere, pater-  
 „næque nostræ, qua vos omnes in Do-  
 „mino amplectimur, Charitatis am-  
 „pliora semper, ubi se occasio dederit,  
 „argumenta expectate. Apostolicam in-  
 „terim vobis Benedictionem peraman-  
 „ter impertimur. „

Jam antea Pontifex gratulatorias  
 ejusmodi literas dedit ad Mechlinien-  
 sem Archiepiscopum, die vigesima sexta  
 Septembris hæc ad eum perscribens:  
 „Quod editam nuper a Nobis ad eli-  
 „minandas Jansenianæ hæreseos reli-  
 „quias Constitutionem omni, quæ vere  
 „Catholicum, & Religiosum decebat  
 „Antistitem, reverentia exceperis, per-  
 „gratum quidem Nobis, & perspectæ  
 „simul pietati tuæ, ac singulari, quo  
 „serves orthodoxæ fidei tuendæ Zelo

S 3

„con-

Sæc. XVII. „consonum fuit. Quod vero Nobis ea  
A. C. 1705: „de re gratulari volueris, peculians  
„insuper erga Nos, & hanc Sanctam  
„Sedem obseruantiae tuæ Nobis argu-  
„mentum extitit. Debitas propterea  
„pro utroque officio præstito laudes Fra-  
„ternitati tuæ libenter impendimus,  
„votisque tuis apud Deum nostra con-  
„jungimus, ut extinguendis prorsus er-  
„roribus, Ecclesiæque paci restituendæ  
„prædicta Constitutio nostra prospiciat.  
„Id vero in regionibus vestris, maxime  
„de Fraternitatis tuæ opera ac studio,  
„quo apud omnes Pastorali tuæ corse  
„subjectos debitam eidem Constitutioni  
„obedientiam curaturum te minime  
„ambigimus, Nobis, favente Domino,  
„pollicemur, nihil plane omissuri, quo  
„& sustinendæ Catholicæ fidei cauissimæ  
„& promovendis etiam, ubi se occasio  
„dederit, commodis, ac dignitate tua,  
„sedulam Apostolici muneric nostri ope-  
„ram præbere, præcipuamque dilectio-  
„nem, qua Te, paterne amplectimur,  
„declarare possimus, & Apostolicam  
„Benedictionem Fraternitati tuæ per  
„amanter impertimur.,

Eiusdem ferme tenoris literas Pon-  
tissex dedit ad Cardinalem Estræum  
Albanensem Episcopum, necnon ad  
Cardinalem Noallium, Guilielmum Bru-  
gensem, & Paulum Carnutensem Epi-  
scopos.

scopos. Ceterum hæc Pontificis Constitutio illis, qui eam desiderarunt, triumphi argumentum, illis vero, qui per eum damnati fuere, nova oppositionis materia exstitit; dicebant enim alii, controversiæ caput non esse decissum, alii decisionis vim vituperiis, calumniis, & aperto Sedis Apostolicæ contemptu infringere moliebantur, atque ex iis Withu, Licentiatus Lovaniensis petulantius, hanc Bullam appellare non erubuit *opus tenebrarum Antichristo dignum*, quo vera Christi gratia destruitur, & Pelagianismus stabilitur: in Galliis quoque Episcopus S. Pontii in Occitania hanc Constitutionem acceptare renuit. eoquod viginti tres Episcopi Anno 1667. pro obsequioso silentio stetissent, ejus tamen edictum ad Diæcesanos missum unacum ipsius epistola ad Atrebatensem scripta Anno hujus saeculi nono fuit condemnatum.

## §. LXXX.

*Bellum contra Gallo - Hispanos a fœderatis continuatum.*

Diffluente gaudiis Vienna ob geminam prioris anni victoriam, cædibus immaduit Bavaria; cum enim Imperator copias suas e Bavaria maximam partem in Italiam traduceret,

Theatr. Europ. t. 17.  
pag. 111.

Briet. contin.  
Annal.

pag. 1018.

S 4    rustici

